FLORA.

64. Jahrgang.

No. 29. Regensburg, 11. Oktober 1881.

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — P. Gabriel Strobl: Flora der Nebroden. (Fortsetzung.) — Anzeigen.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio septima et tricesima. — Exponit W. Nylander.

1. *Calicium gneissicum* Nyl.

Thallus albidus tenuis subleprosus effusus; apothecia nigricantia, stipite firmo, opaca (altit. 0,6—1,2 millim.), capitulo subtenticulari-semigloboso (latit. 0,2—0,5 millim.), massa sporali subvirescenti-nigricante; sporae dilute nigrescentes simplices, longit. 0,004—7 millim., crassit. 0,0025 millim.

Supra saxa gneissacea alpis Holica in Hungaria (Lojka).

Species apotheciis stipitatis, mazaedio nigro-virescente, satis distincta in stirpe *Calicii disseminati*, cui maxime vicina, tamen valde diversa.

2. *Parmelia lusitana* Nyl.

Similis *P. conspersae*, sed thallus K ∓, medulla tum lutescente (nec ferruginascente), isidiosus, etiam receptaculis isidioso-exasperatis, sporis nonnihil minoribus (longit. 0,007—9 millim., crassit. 0,004—6 millim.).

Saxicola in Lusitania (a variis collectoribus missa).

Affinis *P. conspersae* a qua differt reactione thalli, isidio receptacula saepissime exasperante. Spermatia subbifusiformia,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0451-3

longit. 0,006—7 millim., crassit. 0,0006—7 millim. Var. isidiosa *P. conspersae* isidium habet tenuius, obscurius, et raro in receptaculis obvium. Arctius *P. lusitana* accedit ad *P. verrucigeram* Nyl. Obs. Pyren. or. p. 5, et pertinet quidem ibidem p. 50 e Collioure allata ad ipsam *P. lusitanam*. In *P. verrucigera* isidium est rudius, verrucosum.

3. *Pertusaria exalbescens* Nyl.

Similis *P. pustulatae* Ach., sed thallo albo et K leviter lutescente et K (CaCl) non reagente.

Super corticem *Populi tremulae* laevem in Lusitania prope Conimbricam (Moller).

Species facile distincta. Sporae 2nae, raro 3nae in thecis.

4. *Lecidea ternella* Nyl.

Thallus glaucescens tenuis subleprosus; apothecia luteo-pallida planiuscula minuta (latit. 0,2—0,3 millim.), subimmarginata; sporae 8nae oblongae 3-septatae, longit. 0,011—15 millim., crassit. circiter 0,0035 millim., paraphyses non distinctae. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvo-rubescens.

Supra folia *Abietis excelsae* in Hungaria, Tatra (Lojka).

Species peculiaris et stirpe *L. cyrtellae*, sporis 3-septatis (spermogoniis convenientibus, quantum vidi). Apothecia biatorina parce gonidia in hypothecio versus perithecium continentia.

5. *Lecidea Lojkana* (Lahm).

Thallus pallidus vel sordide isabellinus, tenuis, subareolatus, vel tenuissimus subleprosus; apothecia obscure pallescentia vel fuscescentia, convexula, immarginata (latit. 0,2—0,3 millim.), intus pallida; sporae 8nae oblongae vel fusiformi-oblongae, 1-septatae, longit. 0,010—16 millim., crassit. 0,002—3 millim., paraphyses non bene discretae, epithecium interrupte fuscescens, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Lucsivna in Hungaria super saxa dolomitica (Lojka).

Species videtur bene distincta e stirpe *L. cyrtellae*. Lamina tenuis apotheçii sublutescens (K nullibi tincta).

6. *Lecidea Transsylvanica* Nyl.

Thallus pallidus inaequalis areolatus vel granulato-areolatus, mediocris crassitiei (crassit. circiter 0,5 millim.), hypothallo

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0452-9

nigro et ab eo limitatus ; apothecia nigra (variantia fusco-nigricantia), juniora tenuiter marginata, demum immarginata convexiuscula (latit. 1 millim. vel minora), saepe plura aggregata et confluentia, intus alba; sporae 8nae ellipsoideae vel oblongo-ellipsoideae, longit. 0,010—15 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses discretae, epithecium et perithecium glauco-obscurata. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvo-rubens (thecae praesertim tinctae).

Supra saxa granitica in summo monte Aragyes (altit. 2200 metr.) in Transsylvania (Lojka).

Species insignis in stirpe *L. parasemae* et facillime distincta thallo K e flavo mox cinnabarino-rubente. Epithecium et praesertim perithecium Acido nitrico rosello-tincta. Spermatia leviter curvata, longit. 0,018—23 millim., crassit. 0,0005 millim.

7. Lecidea similigena Nyl.

Thallus albidus rugoso-inaequalis subareolatus, inderminatus; apothecia nigra planiuscula (vel concaviuscula) marginata (latit. circiter 0,5 millim.), intus concoloria; sporae 8nae oblongae simplices, longit. 0,014—15 millim., crassit. circiter 0,0045 millim., paraphyses mediocres molles, epithecium et hypothecium violascenti-obscurata (hoc subnigrescens). Iodo gelatina hymenialis intensive coerulescens.

Supra saxa margacea Schusterknappchen (Tatra) in Hungaria (Lojka).

Species affinis videtur *L. rhaeticae* Hepp, cui sat similis, praesertim sporis multo minoribus distans. Thallus nec K, nec CaCl reagens, sed medulla I violaceo-obscurata. Hypothecium K nonnihil violaceo-reagens. Ni fallor spermatia (unicum solum vidi spermogonium) bacillaria, longit. circiter 0,0045 millim., crassit. 0,0005 millim.

8. Thelocarpon prasinellum Nyl.

Apothecia in globulis virescentibus convexis (latit. circiter 0,2 millim.), libenter passim sat confertis; sporae globosae vel subglobosae, longit. 0,002—3 millim., crassit. 0,002 millim., paraphyses thecis breviores. Iodo gelatina hymenialis fulvo-rubescens.

Super lignum abietinum apricum prope Heidelberg (von Zwackh).

Species notis illis bene distincta et jam colore viridi sporisque globosis ab omnibus aliis hucusque cognitis differens.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0453-5

9. *Verrucaria infumata* Nyl.

Forsan subspecies *Verrucariae muralis*, thallo fuligineo vel cinereo-nigrescente, opaco, tenui vel tenuissimo, subpulverulento. Sporae longit. 0,017—22 millim., crassit. 0,007—10 millim.

Supra tegulas lateritias vetustas prope Holmiam.

Comparari possit cum *V. mauroide* Schaer., Zw. L. 151, sed ab ea jam differt thallo subpulverulento et omnino continuo (in *V. mauroide* thallus passim obsolete areolato-rimulosus, nec pulverulento-opacus).

10. *Verrucaria pissina* Nyl.

Sit subspecies *V. aethiobolae* vel *hydrelae* thallo piceo-nigro verniceo subnitido (crassit. fere 0,1 millim.), obsolete rimoso (est „*V. chlorotica*" b in Arn. Ausfl. III, p. 958). Sporae longit. 0,011—17 millim., crassit. 0,005—7 millim.

Obvenit altit. 6000—6500 pedum in Tyrolia (Arnold) et in Transsylvania (Lojka) super saxa micaceo-schistosa aut granitica.

Apothecia majora quam in *V. mucosa* Ach., quae est affinis et quoque structura thalli conveniens minute cellulosa, gonidimiis per series verticales dispositis (inde *Verrucarina*). Haec laxior apud *V. hydrelam*.

11. *Verrucaria perspersula* Nyl.

Thallus albidus vel albido-virescens, tenuissimus, vel evanescens; apothecia pyrenio integre nigricante, semiglobose prominulo, minima (latit. circiter 0,1 millim.); sporae 8nae incolores ellipsoideae-fusiformes, simplices aut indistincte 3-septatae, longit. 0,017—25 millim., crassit. 0,008—9 millim., paraphyses nullae.

Super lapides calcareos subinundatos circa ostium antri prope Ponor-Ohaba in Transsylvania (Lojka).

Species peculiaris stirpis peculiaris, at spermogonia ejus nondum visa. Pyrenium lamina tenui conspectum subviolaceo-nigrescens. Iodo gelatina hymenialis obsolete vel vix vinose rubescens, protoplasma thecarum vero vinose rubescens.

12. *Verrucaria quaternula* Nyl.

Thallus nigrescens obsoletus; apothecia pyrenio integre nigro minutissimo (latit. 0,1 millim. vel vix majorai), prominula, saepius aggregata; sporae 4nae incolores oviformi-oblongae

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0454-1

1-septatae, longit. 0,013—18 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses nullae.

Super lapides calcareos sylvae Fontisbellaquei, loco Franchard dicto (versus „Cedrum"), raro obvia, socia *Arthoniae ruderellae* et *Lecanorae calvae*.

Pro *V. inconspicua* Lahm. (Arn. Exs. 569) sumi possit, sed differt apotheciis aggregatis et thecis 4-sporis.

13. *Verrucaria interseptula* Nyl.

Thallus olivaceus opacus tenuis; apothecia pyrenio dimidiato-nigra, subconice convexo-prominula (latit. fere 0,3 millim.), epithecio non impresso; sporae 8nae incolores fusiformes 5-septatae et uno alterove septulo longitudinali sensu vel obliquo intercedentibus, longit. 0,020—24 millim., crassit. 0,006—7 millim.

Supra saxa silicea humida in Anglia, Wastdale, Cumberland (W. Johnson).

Species est e stirpe *V. chloroticae*, thallo chrysogonidiis gaudente (ad quam stirpem sive subgenus *Porinula* pertinet simul *V. lectissima* et affines; accedit proxime stirps *V. gemmatae*, quae gonidia subchroolepoidea habet).

Observationes.

1. *Collemopsis furfurella* Nyl. facile specie differt a *Collemate areolato* Flot. Illa nihil areolati habet.

2. Arn. L. exs. 817. Qui hic vident *Coniocyben*, sane numquam speciem ejus generis rite examinaverunt. Est *Stilbum*.

3. *Parmelia glomellifera* (Nyl. in Flora 1879, p. 223) facile propria species. Medulla ei K (CaCl) erythrinose saltem leviter tincta. Intermedia quasi inter *P. prolixam (sorediatam)* et *P. verruculiferam*. Nomen *glomellifera* formatum aeque ac nomen *glomulifera* ante acceptum.

4. *Lecanora scotoplaca* Nyl. in Flora 1876, p. 232, var. est *L. caesiorufae* nec *ferrugineae*.

5. Arn. L. 750 minime est *Lecanora aurantiaca* Lghtf.; potius sit *Placodium murorum* var. *lobulatum* Smrf.

6. *Lecanora pyracea* f. *xanthopis* apotheciis vitellinis, super saxa arenaria ad Heidelberg (von Zwackh). Sporae longit

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0455-6

0,011—20 millim., crassit. 0,006—9 millim., septo parum crasso et saepe tenui (sed addito K crassescente).

7. *Biatorina ignita* Anzi Neos. no. 40 non differre videtur specie a *Lecanora iamprocheila* (DC.). Neque *athroocarpa* Anzi Catal. p. 38, Exs. 298, specie differat.

8. *Lecanora laciniosa* (Duf.) rectissime dicenda est ea, quae antea dicta fuit Physcia candelaria et quam esse *Lichenem concolorem* Dicks. jam monui in Prodr. Lich. Scandin. p. 108. Ante etiam monui hanc speciem una cum *Lecanora mediante*, *vitellina* etc. ad subgenus idem ducendam esse (*Candelariam* mihi); omnes eo pertinentes species concolores sunt, igitur nullam earum speciatim concolorem nominare convenit. — Omnino ineptiam analyseos Massalongianae i. e. superficialis vel modum studiorum differentias non vel male in diversis partibus perspicientem partesque texturae maxime momenti inter characteres negligentem ostendit exemplum illud *Lecanora mediantis*, quam adhuc hodie ad *Placodia* relatam videmus. Mox autem attentiori examini elucet, typum spermogoniorum apud hos Lichenes adesse omnino alium, nempe in *L. mediante* sterigmata esse longa simplicia, in Placodiis vero observari semper athrosterigmata breviarticulata; inde differentia maxima constituitur et major quidem eo respectu quam ex. gr. inter Cetrarias et Parmelias. Infirmitatis signum est manifestum sola in spermogoniis considerare spermatia. Inexperientiam memoravi jam in Fr. fil. Scand. p. 145 et 167 exhibitam, ubi *L. laciniosae* Duf. (*candelariae* Ach.) et *vitellinae* attribuuntur „sterigmata multi-articulata", qualia solum imaginatio a scientia alienissima vel impermissa conjectura affirmare possunt; pertinent ejusmodi affirmationes ad „judicia certa" innumera illustrantia Friesiana.

9. *Lecanora megalocarpa* Muell. (microgonidiologi) omnino est *L. parella* corticola, qualis datur in Arn. L. exs. 140. Sporae variant saepissime 4—6 in thecis et sunt longit. 0,045—54 millim., crassit. 0,030—36 millim. A *L. pallescente* mox differt margine thallino apotheciorum CaCl non reagente. In *L. parella* solum epithecium K (CaCl) erythrinose reagit, contra in *L. Upsaliense* id non tum mutatur. — *L. proteiformis* var. *lecideina* ejusd. (cujus hic relatae determinationes omnes ex specimini bus ipsius recensentur) est *Lecidea lenticularis* Ach. Ejusdem microgonidiologi autem „Patellaria faucigena" est *L. erysibe* * *albariella* Nyl. — Asp. argillacea Anzi Langob. 278, Manip. n. 61,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0456-2

non differt a *Lec. flavida* Hepp. Gonidia glomerulosa. *L. rivularia* Nyl. in Flora 1877, p. 222, arcte accedit.

10. *Biatora arenaria* Anzi Manip. n. 94 forsan subspeciem sistat *Lecanorae erysibes* apotheciis nigricantibus convexis (variantibus fuscis), sine gonidiis inclusis, sporis longit. 0,008—14 millim., crassit. 0,0035—45 millim. (spermatiis arcuatis longit. 0,012—19 millim., crassit. 0,0005 millim.), epithecio subincolore aut fuscescente. — Supra saxa arenaria etiam in sylva Fontisbellaquei eam legi. — Thallus cinerascens tenuis subleprosus rimosus vel evanescens.

11. *Lecidea Cadubriae* var. *symphycarpoides* Muell. (microgonidiologi) est *L. lignaria* (Krb.) Arn. Ausfl. XI. p. 518 (*L. plusiospora* Fr. fil.). Affinis est *L. hypoptoidi* Ach. — *L. modesta* ejusd. est *L. botryiza* Nyl. in Flora 1874. p. 10. — Ejusdem „*Biatora polycarpoides*“ vix differt thallo tenui areolato nisi ut subspecies a *L. lapicida*; epithecio obscure coerulescente mox differt a *L. tessellata* Flk.

12. *Biatora Torellii* Anzi Manip. p. 22 (n. 87). Thallus albidus, sat tenuis, granulosus, effusus, granulis molliusculis saepius subdispersis; apothecia nigricantia, perithecio saltem juniore pallescente, planiuscula (latit. circiter 1 millim.), margine demum irregulari, intus obscura; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,007—8 millim., paraphyses graciles, hypothecium (cum perithecio) fuscescens. Iodo gelatina hymenialis non tincta. — In Italia boreali prope pagum Gana dictum (Anzi). — Thallus K et CaCl —. Species videtur stirpis propriae inter Biatoras. Spermogonia non vidi. Definitio hic datur, Anziana enim non omnino fida.

13. Anzi Langob. 509 (G. carneo-nivea Anzi Anal. p. 10, n. 20) videtur *Lecidea* stirpis *L. cyrtellae*. In *L. carneo-nivea* (Anzi) thallus albus tenuissimus continuus illiniens; apothecia carnea lutescentia prominula planiuscula immarginata minutella (latit. fere 0,2 millim.), extus obsolete albescentia; sporae 8nae incolores oviformi-ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,014—16 millim. crassit. 0,007—8 millim., paraphyses graciles, epithecium et hypothecium incoloria. Iodo gelatina hymenialis incolorata, thecae coerulescentes (dein lutescenti-decolores). — Supra muscos et alia vegetabilia destructa in termino arborum alpium Bormiensium (Anzi).

14. *B. heterobaphia* Anzi Catal. p. 73 non differt a *L. cyrtella* Ach., nec magis differt *B. pseudocyrtella* Anzi Neos. n. 42.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0457-8

15. *Patellaria cinereovirens* Muell. (microgonidiologi) in Flora 1875, p. 165, est omnino *L. chalybeia* Borr.[1]).

16. *Lecidea fuscoviridis* Anzi Comm. critt. it. II. p. 16, Langob. 403, Stzb. *L. sabul.* p. 10. Thallus cinerascens vel cinereo-virescens, tenuis, subgranulato-inaequalis, passim subleprose delitescens; apothecia carneo-testacea vel testaceo-fuscescentia vel fusco-obscurata, planiuscula, demum convexula, immarginata (latit. 0,5—0,9 millim.), juniora obtuse marginata; sporae 8nae oblongo-fusiformes 3-septatae, longit. 0,012—19 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses non discretae, epithecium et hypothecium incoloria. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens. — Supra lapides arenarios muri humidi ad Heidelberg (von Zwackh). Etiam calcicola in Transsylvania (Lojka). — Accedere videtur ad *L. epixanthoidem*, sed thallo alio (non flavido, tenuiter leproso). Apothecia versicoloria, interdum carneo-testacea margine obscurato (tum in lamina tenui perithecium supra violascens). Thallus in humido statu virescens. Spermatia arcuata, longit. 0,016—22 millim., crassit. 0,006 millim. In Anzi L. Langob. 403 sporae interdum 5-septatae.

17. *Lecidea peliocarpa* (Anzi Neos. n. 44) confundi possit cum *L. hemipolioide* Nyl. in Flora 1873, p. 294 (quae vix nisi var. est *L. violaceae* Crouan.), sed sporae 3-septatae rectae, longit. 0,014—18 millim., crassit. circiter 0,0045 millim., et iodo gelatina hymenialis coerulescens dein coerulescenti-obscurata (thecis praesertim tinctis).

18. *Patellaria carneoalbida* Muell. (microgonidiologi) est *Lecidea sphaeroides* (Dicks.). — *P. atroviridis* ejusd. est *L. pelidna* Ach.

19. *Lecidea pertingens* Nyl. in Flora 1874, p. 313, non differat a *L. latypiza* Nyl. — *L. dissipabilis* Nyl. in Flora 1874, p. 314, jungenda est cum *L. rhaetica* Hepp.

20. *Patellaria cinereovirens* Muell. (microgonidiologi) est *L. colludens* Nyl. Nihil „viridi-suffusi“ adest typicum.

21. *Pertusaria areolata* (Clem.) facile propria species distinguenda a *P. communi* thallo rudiuscule rugoso, papillis plus minusve exasperato, K extus intusque flavescente. Non confundenda est cum *P. communi* f. *rupestri* DC. (quae datur optima in coll. Lojka no. 1569).

---

[1]) In Flora 1881, p. 185, legitur: „*L. coracina* Mass. et *L. chalybeia*.“ Legendum est *L. coracina* est *L. chalybeia* Borr.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0458-4

22. *Verrucaria caesiospila* Anzi Symb. 23, L. Langob. 364, est mea *V. integra* * *integrella* sporis minoribus, longit. 0,018—24 millim., crassit. 0,010—14 millim.,

23. *Verrucaria fuscocuprea* Nyl. in Flora 1874, p. 318, etiam occurrit forma (*rimosior* dicenda) thallo rimoso una cum typo thallo non rimoso obveniens in Transsylvania (Lojka). In *V. clopimoide* Anzi (Arn. L. Exs. 723) arcte accedente thallus cupreo-umbrinus.

24. *Verrucaria incava'a* Mudd. vix distinguenda est a *V. calcivora* Nyl. Pyrenoc. p. 27, *V. sepulta* (*plana*) Kphb. (sed ipsa *V. sepulta* Mass. ostiolis parum conspicuis vel etiam pallescentibus satis differt).

25. *Verrucaria chlorotica* Ach. sat solita nominatur „*S. atrata*" a Muell. (microgonidiologo) in Flora 1867, p. 437, thallo nihil „leprosi" nihilque „atrati" habente, sed est thallus obscure olivaceus, opacus, tenuis, subrimulosus. Sporae longit. 0,016—18 millim., crassit. 0,004—5 millim.

26. *Verrucaria Mori* Rehm. in hb. Lojka. Similis *Verrucariae epidermidis*, sed sporae 3-septatae (longit. 0,015—18 millim., crassit. 0,005—6 millim.). Paraphyses adsunt breviusculae molles articulatae tamquam in *V. submicante*. — Super corticem Mororum in Austria inferiore (Lojka).

27. *Thelopsis Lojkana* (Poetsch in hb. Lojka sub Sagedia). Thallus facie caesius, tenuissimus, subleproso-obducens (non verus); apothecia pyrenio integre nigro (latit. 0,5 millim.), convexa, prominula, epithecio profunde intruso; thecae hecatosporae, sporae fusiformes 3-septatae, longit. 0,020—25 millim., crassit. 0,0035—00045 millim. Iodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein subfulvescens (thecae magis tinctae). — Supra saxa calcarea umbrosa circa balneum Ischl in Austria superiore (Lojka). — Thallus verus videtur scytonemeus vel ad thallum verum pertinent Scytonema sparse repens super saxum. Pyrenium in lamina tenui visum fuscum est.

28. Quoad nomen *Gassicurtia silacea* Fée (quae species haud rara in lateribus rupium suboccultis sylvae Fontisbellaquei) observetur, id mutandum esse et dicendum: *G. silicea*, nam nihil hic „silacei" adest (*silaceus* adjectivum habet sensum eundem ac si diceres: ochraceus).

29. Dominus Schnetzler (in Bull. Soc. Vaud. des Sc. nat. XVII, 84, p. 13), novus adhuc prodiens assecla sero veniens schwendenerismi, tamquam observationis rite factae credibi-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0459-2

lisque specimen exponit, se vidisse, *Chroolepus aureum* associari hyphis funginis (saltem sic affirmat, at naturam earum funginam comprobare negligit), quae hyphae cellulis Chroolepeos sese affixerunt[1]) ita ut ambo vegetabilia coalescentia unicum formaverint, „convivio" illo efficiens: Lichenem! Speciminulum observationis est macrum. Notetur, filamenta illa vix fuisse fungina, nam de saxicolis agitur et saxum aegre substratum dat fungo ulli. Nihil ceteroquin evolutum, nihil lichenosum vidit apostolus novus, tamen „convivium" adesse nimis facile sibi persuadet vegetabileque novum e duplici origine exstitisse pro certo dicit, quod eo teste ita perficitur ut utraque elementa (nempe „fungi" et „algae") in hac concrescentia mira transfigurentur („la vie en commun entre les deux végétaux les modifie reciproquement"). Si vero ita e duobus oriatur ens unicum, in quo partes omnes utriusque vegetabilis constituentis transmutatae essent, tunc etiam organa omnia aequaliter mutarentur et quidem naturae evaderent lichenosae; quoque sporae non aliae naturae quam Lichenum fierent et hae sporae deinde modo progignerent Lichenes. Sic autem fungus in historia illa omnino evanescit atque sic totus schwendenerismus, qui non est aliud quam inanis argumentatio, nulla innixa seria observatione, etiam a se ipso vel simplicissima deductione logica refellitur. Lichenes sunt manentque Lichenes, sicut Fungi sunt et manent Fungi; nullo „convivio" schwendeneriano nec opus habent nec utuntur, talia ad fabulas imaginationis vel argumentationis sophisticae pertinent a scientia rejiciendas. Primum in casu ejusmodi, ex methodo vera scientiae, fuisset videndi, anne hyphae speciei certae funginae reipsa coalescant cum gonidiis liberis determinatis; sic problema ponendum et solum formatione Lichenis probata solvendum erat. Sed ne vestigium quidem demonstrationis ejus indolis exhibitum fuit! Hyphae Fungorum non vagantur ubi praecipue crescunt Lichenes et gonidia libera nullibi in natura existunt (quae deinde in thallos intrarent), et certe ubique visibilia esse deberent si exsisterent, nam nulla vegetabilia magis abundantia et perennia occurrunt quam Lichenes. Corruunt necessario quae ab inexperientia exstruuntur. Quicumque rite observat conspicere potest gonidia in thallis

[1]) D. Schnetzler ignorare quoque videtur *Chroolepus aureum* nihil simile habere cum gonidiis *Graphidis scriptae* nec aliorum Graphideorum. Parum in scientia versatis res fictae satis sunt, verae et seriae taedent.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0460-3

oriri, pariter ut sporae in apotheciis. — Microgonidismus alia fabula est (sicut jam satis explicavi in Flora 1878, p. 206) non minus absona quam schwendenerismus.

Parisiis die 17 Augusti 1881.

Flora der Nebroden.

Von

Prof. P. Gabriel Strobl.

(Fortsetzung.)

Amarantus patulus Bert. Fl. It., Guss. Syn. et Herb.!, Gr. God., *viridis* Ucria, *chlorostachys* Cesati etc. Comp., Willk. Lge.?, Moq. vix Willd. Zeichnet sich nebst *retroflexus* L. vor der vorigen Gruppe aus durch fünfmännige Blüthen, und dornig stachlige Bracteen. Bei *patulus* sind die Bracteen höchstens um die Hälfte länger als die elliptischen, stumpflichen, kurzgrannigen Kelchblätter, die Früchte länger als der Kelch und die Endähre ist ausserordentlich verlängert, meist hängend; bei *retroflexus* sind die Bracteen mindestens doppelt so lang als die Kelchblätter, diese sehr stumpf, ausgerandet mit Stachelspitze, Früchte kürzer als das Perigon, die Endähre aufrecht, wenig länger als die seitenständigen. *patulus* wird von Moq., Willk. Lge. und Cesati mit *chlorostachys* W. identifizirt, doch hat dieser nach W. sp. pl. Band IV pag. 392 lanzettliche, die ital. Pflanze aber deltoidisch eiförmige Blätter; über die Bracteen und Kelchblätter sagt die Diagnose nichts, ebenso über das Vaterland. Gr. God. und Nyman in Suppl Syll. trennen daher beide. Von *chlorostachys* Spaniens unterscheidet sich nach W. Lge. *patulus* durch nicht zugespitzte, sondern stumpfliche, kurzgrannige Kelchblätter, die von den Bracteen höchstens um die Hälfte überragt werden, sowie durch zuletzt dunkelgrüne Blätter; doch sah ich kein spanisches Exemplar.

An wüsten und bebauten Orten, in Gärten und um Gebäude (300—700 m.): Um Polizzi, besonders in ausgetrockneten Flussbeeten der Nusshaine sehr gemein, um Dula ebenfalls häufig! Juli, Sept. ⊙.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0461-9

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1881

Band/Volume: 64

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 449-459